

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Biblioteki Narodowej BOZ 90, k. 55v–56

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 53

[53] De eo, qui vir vulneratus ad iudicium cum clamore ductus [/] fuerit. Capitulum Liii^a

<Lxxv^a> Si vulneratus vir cum clamore ad iudicium decuctus sit facto manifesto, et ita imbecilis aut debilis fuerit, per tutorem ipsum querulare opportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sua procedit querimonia: „Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocate, extunc in sentencia requiro, si per iusticia[m] insidias per aliquem pati debeat aut sustine[re], cum suam causam propter iuris exigenciam teneo”. Extunc sibi finitur, quod non. Extunc sibi petat correctionem. Cum obtainuerit correpcionem, tunc petat colloquium cum habuerit, tunc requirat, qualiter suam causam inchoare debeat, et per sentenciam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur cum clamore. Tunc interroget sentencialiter, si requiri debeat de ore suo ad os, a quo suam habebat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ipso solo audiant, a quo sua recip[er]it vel habuerit damna, aut quis in eo paucis /s/ federa confregerit. Extunc requiritur sentencialiter et requiri debeant circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, [k. 56] quid ab eo audierunt. Audita responsiva, tunc in sentencia requeratur, si iam perfecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus, tercius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod perfecerit. Extunc querelam incipiat: „Domine iudex, placeat attente audire”. Tunc hic conqueritur super virum^b ·N· et super ·A·, quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et psum vulneraverunt aut suum afinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominat malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciet tercia vice. Extunc indicie indicantur per noctem. Si tunc non comparent, describuntur. Sin autem comparent, duellum in eis acquiri potest.

^a na marginesie; ^b alternatywny odczyt unum

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]